

carissimum, maxime mihi quanto magis tibi et in carne
15 et in Domino. Si ergo habes me socium, suscipe illum
sicut me. » Sed et Corinthiis scribit idem Apostolus pro
his qui peccaverunt, hoc modo : « Ne forte cum venero,
lugeam multos ex his qui ante peccaverunt et non ege-
runt paenitentiam, pro impudicitia et fornicatione et
20 immunditia quam gesserunt. » Et rursus : « Sicut dixi et
iterum dico, quia si venero iterum, non parciam. » Vides
quos luget Apostolus et quibus non parcit, non eos qui
peccaverunt sed eos qui non paenituerunt. Non solum
quia non paenituerunt sed quia semel et iterum pro hoc
25 commoniti oboedire noluerunt. Quod enim ait : « prae-
dixi » et « iterum dico ut praesens secundo sed et nunc
absens scribo » non aliud nisi se admonitos eos indicat
contempsisse. Unde vereor ne etiam nobis hoc accidat.
Licet enim Paulus non videatur assistere qui tunc com-
30 minabatur Corinthiis sed Christus adest qui per ipsum
loquebatur, et, si persistimus in duritia, dicet nobis
quia « non parciam ». Non solum in praesenti sed etiam in
futuro. Igitur « praeveniamus faciem eius in confessione
et effundamus in conspectu eius corda nostra ». Ait enim :
35 « Peccasti, non adicias ultra sed et pro prioribus tuis depre-
care. » Et iterum : « Iustus accusator sui est in primordio
sermonis. » Non ergo exspectemus inimicum accusatorem
nostri sed nos eum praeveniamus, et ex ipsa confessione
nostra benigniorem erga nos iudicem faciemus. Et quidem
40 quod confitearis peccata tua et defleas temetipsum, bene
novi, sed non hoc solum volo abs te, confessionem namque
praeteritorum cum emendatione volo fieri futurorum. Et
ita volo persuasum habeas quod haec faciens certus sis